

*Deux sceaux sur double queue de parchemin, passée deux fois dans le pli. Seul celui, en navette, de l'abbesse est conservé.*

*Notes dorsales rangées d'après l'époque de leur apposition :*

Copiata est. De venditione Hubrechtsvorst abbati de Averbodio. Anno M<sup>o</sup>XXXV<sup>o</sup> (sic).

Littera abbatis et conventus Torensis super allodio de Hubergforst, collato abbachya de Everbode super quinque solidos Leodiensenses anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXXV<sup>o</sup>.

## II

1239 ou 1240, avril 1-14. — Jean de Bossuit, abbé d'Averbode, vend l'alleu d'Hubrechtvorst et ses dépendances aux cisterciennes de Neeroeteren.

Omnibus Xristi fidelibus hanc paginam inspecturis, J..., Dei patientia in Averbodio dictus abbas, ac totus ejusdem loci conventus, salutem et cognoscere veritatem. Universitati vestre declaramus quod nos vendidimus sanctimonialibus Cisterciensis ordinis, in territorio parochie de Uterne commemorantibus, molendinum, pratum et terram adjacentem, et partem omnem silve dicte Hubrechtvorst ad nos pertinentem, libere et absolute in perpetuum possidenda, quemadmodum nos hactenus dinoscimur habuisse. Que venditio ut stabilis perseveret, presentes litteras ipsis dedimus testimoniales, sigillorum nostrorum caracteribus roboratas. Datum anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXX<sup>o</sup> nono, mense aprili.

*Deux sceaux, sur double queue de parchemin, passée deux fois dans le pli, disparus.*

*Notes dorsales d'après l'ordre de leur apposition :*

Van de goedere tot Hoeberehtfogs van den abt van Everboede gecocht wesende (*écriture pâlie, sur un pli, d'où lecture incertaine*).

Roetere

Uteren.

Copiata est. J. abbas de Averbodio de Hubrechtsvorst.

Littera abbas et conventus de Everbode de venditione molendini, prati, et terre partis sue silve de Hubergforst nobis facta anno Domini m<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>xxxix<sup>o</sup>.

## Odo Rigaldus et Ordo Praemonstratensis

Inter episcopos regionum quae nostris diebus ad Galliam pertinent, qui saeculo decimo tertio eminuerunt, Odo Rigaldus (Eudes Rigaud),

eminentem locum occupat. Cum intentum nostrum nullo modo in praesenti sit ipsius curriculum vitae ecclesiasticae ac scientificae exponere, compendioso modo referimus ea quae ad inquisitionem nostram magis directe spectant : Odo Rigaldus et Ordo Praemonstratensis.

Curriculum vitae ita, sobrie simul et recte, proponitur a P. Glorieux : « C'est vers 1236 qu'il dut entrer et faire profession chez les frères Mineurs. Mis à l'école d'Alexandre de Hales, il conquiert la maîtrise en théologie, puisqu'il est en 1242, un des quatre maîtres de qui émane l'*Expositio in regulam Fratrum minorum*. À la mort de Jean de Rochelle (1245), il devint régent de l'école franciscaine (de Paris), jusqu'à la fin de 1247. Nommé en effet archevêque de Rouen, il fut sacré à Lyon (mars 1248), par le pape Innocent IV. Son entrée solennelle eut lieu à Pâques; et dès le 17 juillet on a, dans le journal de ses visites pastorales, le détail de son activité jusqu'au 16 décembre 1269. Administrateur de son diocèse et de sa province; conciles fréquents qu'il présida; participation à la vie de l'État, car saint Louis le consulta souvent et utilisa ses services à mainte reprise, comme pour le traité avec l'Angleterre (1258); voyages lointains, à Rome (1254), à Londres (1260). Il prit la croix, le 6 juillet 1267, pour la nouvelle expédition de saint Louis, qu'il accompagna à Tunis (1270). Au retour, il commença à instruire le procès de canonisation du saint roi, et participa très activement au concile de Lyon (1274). Il mourut le 2 juillet 1275 » <sup>1</sup>).

De plurimis eius operibus theologicis nobis sermo non est. Fere unice prae oculis habemus notissimum Diarum ab ipso conscriptum : *Registrum Visitationum*. Manuscriptum huius Registri asservatur Parisiis, Bibl. Nationale, Lat., 1245. Ac editum fuit Rothomagi (Rouen), anno 1852, opera Th. BONNIN. Sub titulo : *Registrum Visitationum Archiepiscopi Rothomagensis. Journal des Visites pastorales d'Étude Rigaud, archevêque de Rouen. MCCXLVIII-MCCLXIX*. Post prae-missam introductionem (vii pp.), sequitur textus « Registri » (pp. 640). In appendice (pp. 643-820) eduntur paginae nonnullae, hinc inde in textu ipso « Registri » appositae, et quae veluti documenta textum stricte dictum « Registri » illustrantia haberi possunt. Referuntur inter haec « documenta » : 1. (pp. 643-648, in ms. fol. 121 v<sup>o</sup> 122 v<sup>o</sup>) : Statuta super Reformatione Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, a felicis recordationis Gregorio papa nono edita; 2. (pp. 649-674;

<sup>1</sup>) P. GLORIEUX, *Répertoire des Maîtres en Théologie de Paris au XII<sup>e</sup> siècle*, t. II, Paris, 1934, pp. 31-33.

in ms., fol. 124 v<sup>o</sup> - 155) : Diffamationes. 3. (pp. 675-732; in ms., fol. 147 v<sup>o</sup> et locis diversis inserta) : Ordines, seu ordinationes sacrae ab archiepiscopo collatae. 4. (pp. 733-760; in ms. fol. 144 et variis locis ms. insertae) « Littere Apostolice ». 5. Privilegia (pp. 761-762; in ms., fol. 569 v<sup>o</sup> - 570). Unum tantum privilegium hic refertur, sub inscriptione : Privilegia Premonstratensis (sic!) Ordinis. — De facto agitur de privilegio exemptionis Ordini Praemonstratensi a Summo Pontifice, Alexandro IV, anno 1259 concessio. 6. (pp. 763-765, in ms., fol. 373 v<sup>o</sup> - 375) : Compositio super Reformatione pacis inter Ludovicum IX, regem Franciae, et Henricum III, regem Angliae, Anno MCCLIX. 7. (pp. 766-774; in ms., fol. 137 et locis variis) : Firme, seu decisiones nonnullae variis personis concessae ab archiepiscopo. 8. (ff. 775-802; in ms., fol. 578 et variis locis ms.) : Privilegia, Iura et Negotia tam Ecclesiastica quam Temporalia.

In fine editionis « Registri » (pp. 805-860) habetur Index Geographicus et Onomasticus.

Constat Odonem Rigaldum ex omni parte fuisse episcopum zelosissimum in promovenda vita christiana et religiosa. Speciatim apud clerum et monasteria provinciae ecclesiasticae, quae curae eius commissa erat. Ut hoc pro posse quam perfectissime obtineret, pluries et iteratis vicibus varias regiones suae provinciae visitavit. Eisque quae in visitationibus perspexit remedia statui rerum accommodata et opportuna proposuit atque praecepit. Sane, in tali « registro » fere unice status rerum minus bonus potissimum tractatur. Simul ac abusus et conditiones quae probare non potuit archiepiscopus. His prae oculis habitis ac retentis, negari nequit momentum eorum quae in hoc « Registro » continentur difficile exaggerari posse. Quod fuse exponitur in opere praeclaro prof. P. ANDRIEU-GUITRANCOURT, *L'archevêque Eudes Rigaud et la vie d'Eglise au XIII<sup>e</sup> siècle d'après le « Regestrum Visitationum »*. Paris, 1938, XI + 463 pp. Pauca depromimus ex introductione operis huius : « Eudes Rigaud occupe une place de premier choix... Admirable type de chef de diocèse, il fut l'un des hommes remarquables du règne de saint Louis. ... Devenu archevêque d'un des diocèses de France les plus étendus et d'une province riche et peuplée, Eudes Rigaud se donna tout entier et sans répit aux devoirs de sa charge. Partout dans son diocèse, il visite son clergé, prêche ses fidèles, administre les biens de son église. Pas de monastère ou de chapitre qui, dans sa province, échappent à son inspection sage et vigilante. Métropolitain convaincu de ses prérogatives, il les exerce et les fait respecter » (p. 1 s.).

Plurima monasteria ac capitula canonicorum ac monachorum in illa provincia existebant. Percurrendo indicem locorum in quibus talia instituta plus minusve florebant, apparet iis temporibus veram differentiam extitisse inter capitulum canonicorum in genere et institutum canonicorum regularium. Quae ultima vere regebantur a statutis et decretis promulgatis ac vindicata ab eorum Superioribus regularibus.

Penitius inspiciendo ea quae de plurimis monasteriis canonicorum Praemonstratensium in hoc « Registro » evocatis et nominatis, primo advertimus plures ex istis canonicis Praemonstratensibus ab Odone ad ordines fuisse promotos. Nomina eorum in manuscripto indicantur. Ordinationes de quibus hic agitur collatae fuerunt decursu annorum 1261-1267. Non tantum agitur de ordine presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus conferendo; nam plus quam semel videmus Odonem etiam canonicos Praemonstratenses elevasse ad acolytatum. Indican- tur insuper ad quodnam monasterium isti ordinandi pertinebant.

In « Registro » monasteria Praemonstratensium plurima notantur. Quae sita erant in provincia cuius Odo Rigaldus archiepiscopus erat. Dies in qua Odo illas abbatias invisit semper accurate indicatur. Singula ista monasteria hic enumerare non vacat.

Eo vel magis quod abbatiae istae archiepiscopo significarunt explicitis verbis se exemptos esse a sua iurisdictione ordinaria. Item fecisse eadem occasione Cistercienses patet ex notiis in « Registro » relatis.

Generatim vero annotatur archiepiscopum in monasteriis nostri Ordinis « procuracionem » accepisse.

Occasione adventus sui in tribus canoniis « Premonstracensibus » ita semper scribit archiepiscopus Odo, speciale additamentum habetur. Quod ideo notatur quia pro archiepiscopo visitante aliquid memorabile prae se fert. Tria illa notamus :

1. (p. 242 editionis « Registri »). II nonas Aprilis anni 1255 : « Apud Insulam dei <sup>2)</sup>, Premonstratencis ordinis. Cum ibi venissemus causa visitacionis, nobis ostenderunt duo transcripta litterarum. Primum erat sigillatum; cuius tenor talis erat : Omnibus presentes litteras inspecturis... » Archiepiscopo ostenditur privilegium exemptionis a visitatione episcoporum.

<sup>2)</sup> Insula Dei : Isle-Dieu. Olim in dioecesi Rothomagensi = Rouen, nunc in dioecesi Ebroicensi = Evreux, in Gallia, dép. Eure. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. III, Straubing, 1956, pp. 43-45.

2. (p. 577 editionis « Registri »). II. Nonas Maii anni 1267. « Fuimus apud Bellam Stellam, in abbacia quadam Premonstratensis ordinis <sup>3)</sup>, videlicet in festo Sancti Johannis ante Portam Latinam, ubi, si voluissemus, cum expensis monasterii fuissetis, sed nos ipsorum devotionem et operam quam circa cultum divinum et edificium monasterii impendebant attendentes, ipsis parcere volumus illa vice, et procurati fuimus ibi a priore de Laude Patricii ea die ».

3. (p. 398 editionis « Registri »). VIII. Id Aprilis anni 1260. Sermo fit de « concilio » habito ab archiepiscopo simul cum episcopis suis suffraganeis, in quo potissimum sermo factus est de bello instruendo contra Turcas ad hoc ut Terra Sancta de eorum manibus liberari possit. « Dominus papa et dominus rex Franciae » (rex ille erat S. Ludovicus IX) summopere huic intento adlaborabant.

Omnes praesentes huic « concilio » statim se paratos declararunt validum adiumentum praebere velle tali intento. « Exceptis tamen de hoc, Cisterciensibus et Premonstratensibus monachis, qui responderunt quod abbates sui superiores debeant ire Parisius ad pallamentum (sic !), et sine assensu ipsorum superiorum non possent aliquod promittere vel assentire. Nos autem nichilominus eisdem iniunximus ut aliquos monachos sui ordinis de qualibet dyocesi mitterent Parisius ad pallamentum, audituros que de assensu abbatum superiorum suorum essent ordinata et statuta ».

De tribus his speciali modo indicatis ab Odone Rigaldo, quaedam ulterius dici possunt ac debent, in quantum fontes historici hucusque noti de hac re nos instruunt.

1. De adiutorio praestando intento in *expeditione bellica* a rege Ludovico IX. Pauca vel nulla nota sunt de adiutorio praestito a Praemonstratensibus hac in re. Sermo fit in textu « Registri » de synodo provinciali habita in Normannia sub praesidio archiepiscopi Odonis Rigaldi. Notat Th. BONNIN, editor « Registri », p. 398, n. 1 : « Les actes de ce concile n'ont été publiés par aucun des écrivains qui se sont occupés de l'histoire ecclésiastique de Normandie ». Similiter C. HEFELE - H. LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, t. VI, 1 part., Parisiis, 1914, p. 95, narrat : « Les auteurs des collections des conciles placent au nombre des synodes la réunion des prélats et des seigneurs qui eut lieu à Paris, le dimanche de la Passion 1260, par ordre de saint Louis. Le roi annonça dans cette assemblée, d'après une lettre du pape sur les

<sup>3)</sup> Bella Stella = Belle-Étoile. Olim in dioecesi Baiocensi = Bayeux, nunc Sagiensi = Séez, in Gallia, dép. Orne. Cfr. N. BACKMUND, l.c., pp. 36-39.

progrès des Tartares en Arménie, en Syrie, en Palestine, que Saint-Jean d'Acre elle-même était menacée. Aussi prescrivit-on des prières et des processions, on prohiba le luxe et les tournois et on ordonna d'apprendre le maniement des armes». Leclercq exponit deinde tum in provincia ecclesiastica Burdigalensi (Bordeaux), tum in provincia Narbonensi (p. 95 s.) habitam esse eo tempore synodum. De tali synodo vero in provincia Rothomagensi (Rouen), nihil indicatur.

2. *De exemptione.* Ex iis quae in « Registro » passim legimus, patet canonicos Praemonstratenses non eodem modo sese habere erga jurisdictionem archiepiscopi quam alia monasteria (Cisterciensium exceptis). Hac ratione agere se posse ac debere autumant vi privilegii Ordini concessi. Privilegium istud in Ordine notum sane est. Concessum fuit a S. P. Innocentio IV (10 oct. 1247); ac incipit his terminis : « Virtute conspicuos ». In *Bibliotheca Ordinis Praemonstratensis* edita a J. LEPAIGE, Parisiis, 1633, publicatur p. 671. Existentia huius privilegii Odoni Rigaldo manifestatur quando abbas Ressonensis <sup>4)</sup> hoc privilegium Parisiis archiepiscopo ostendit. Odo Rigaldus hoc privilegium integrum in suo « Registro » inserit (l.c., p. 760 s.). Praecipua contenta in hoc privilegio in hoc consistere videntur quod abbates Praemonstratenses libere a canonicis eliguntur. Declarat textus privilegii : « Virtute conspicuos sacri ordinis professores qui contemplationi celestium ferventer invigilant et pie vite studio sine intermissione ferventer desudant decet per apostolice circumspeditionis auxilium sic provide dirigi et sollicite confoveri, ut alicuius pretextu calumpnie nullum interne pacis excidium, nullum religiosi status perferat detrimentum, sed in hiis robur et vigorem habeant per que circa cultum divini nominis devotis et quietis mentibus invalescant. Sane in privilegio sedis apostolice ordini vestro concesso perpeximus contineri, quod cum aliqua ecclesiarum vestrarum abbate proprio fuerit destituta, vel cum ibi abbatis electio regulariter non fuerit celebrata, sub prioris abbatis potestate ac dispositione consistat, et cum eiusdem consilio qui eligendus fuerit a canonicis eligatur; electo autem fratres ecclesie statim obedientiam promittant, qui non quasi absolutus a potestate prioris abbatis vel ordinis sui archiepiscopo vel episcopo in cuius dyocesi fuerit presentetur, plenitudinem ab eo officii percepturus, ita tamen quod post factam archiepiscopo vel episcopo suo professionem occasione illa non transgrediatur consti-

<sup>4)</sup> Ressonium = Ressons, in dioecesi olim Rothomagensi, nunc Belvacensi = Beauvais, in Gallia, dép. Oise. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, Straubing, 1952, p. 560 s.

tutiones ordinis sui, nec in aliquo eius prevaricator existat. Si quis etiam ex vobis electus canonice in abbatem dyocesano episcopo semel et iterum per abbates vestri ordinis presentatus benedictionem ab eo non poterit obtinere, ne ecclesia ad quam vocatus est destituta consilio periclitetur, officio et loco abbatis plenarie secundum ordinem fungatur, in ea tam in exterioribus providendis quam interioribus corrigendis, donec aut interventu generalis capituli vestri aut ex precepto Romani pontificis seu metropolitani benedictionem suam accipiat. Cum autem super hiis verbis et intellectu ipsorum sicut tu, fili abbas, coram nobis et fratribus nostris humiliter retulisti a quibusdam ex vobis mens dubia et cor fluctuens haberetur, duxistis propter hoc a sedis apostolice providentiam recurrendum, suppliciter postulantes ut ipsa hac in parte pro quiete conscientiarum vestrarum et tranquillitatis ordinis providere vobis per declaracionis remedium, dignaretur ». (Textum hunc exscripsimus a textu ipsius Odonis Rigaldi). Sane, in hoc privilegio quaestio de exemptione nullo modo integre consideratur. Momentum tamen ipsius aegre negari posse videtur.

3. *De procuratione*. Sub hac voce intelligitur ius aut saltem consuetudo vi cuius episcopus vel archiepiscopus diocesanos vel provinciales ad quam pertinet monasterium ab isto exigere posse in visitationibus contributiones varii generis pro sustentatione sua. De valore iuridico et extensione talis rationis agendi non satis clare constat. Videmus Odonem Rigaldum, etiam in domibus Praemonstratensium, generatim recepisse « procuracionem »; expicite notat: procurati fuimus! Exceptio ab ipso facta in favorem abbacie Bellae Stellae notatur ab Odone (vide supra, p. ...). Ex epistolis abbatis generalis Gervasii (1209-1220), editis a C. L. HUGO <sup>5)</sup>, missis S.P. Honorio III, videmus hunc eminentum abbatem generalem iteratis vicibus conquestum esse de ratione agendi Stephani, episcopi Noviomensis (Noyon) <sup>6)</sup>, qui procuraciones de grangiis Praemonstratensibus exigebat. Scribit Gervasius in una ex his epistolis, Summo Pontifici missis: « Sanctitati Vestrae in multa amaritudine cordium conqueruntur humillini servi Vestri Abbates nostri Praemonstratensis Ordinis, in Remensi Provincia constituti, quod licet in eorum Privilegiis inhibitum sit expresse, ne quis Archiepis-

<sup>5)</sup> C. L. HUGO, *Sacrae antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica*. I. *Continens Gervasii Abbatis Praemonstratensis et Episcopi Sagiensis Epistolae...* Stivagii (Étival), 1725.

<sup>6)</sup> Annis 1188-1221, Stephanus de Nemours episcopus fuit Noviomensis = Noyon. Cfr. P. B. GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae*, Graz, 1957, p. 590.

copus, vel Episcopus, nisi in manifesta necessitate in eorum grangiis hospitetur, quidam tamen episcopi Provinciae Remensis et Archidiaconi, ac ipsorum Officiales, in singulis grangiis eorundem fratrum in suis Dioecesibus constitutis procuraciones exigant annuatim» (l.c., p. 8 s.). Addit abbas Gervasius, l.c., p. 10, S.P. Honorium III, anno 1217, rescriptum evulgasse, vi cuius Decanum Remensem, Gerardum et Fromondum, canonicos Remenses, deputat qua iudices in causa illa. Additque Gervasius (l.c., p. 46 s.) epistolam episcopi Noviomensis Stephani, qua episcopus iste agnoscit exemptionem Ordinis Praemonstratensis, offertque satisfactionem pro illatis iniuriis et damnis illatis.

His prae oculis habitis, quaeri potest qua ratione Odo Rigaldus potuerit iteratis vicibus, quando monasteria Ordinis Praemonstratensis inviserat, notare se in iis « procuratum fuisse ».

Responsum huic quaestioni dandum praebetur a P. Andrieu-Guitrancourt, in libro supra citato. In capite VIII libri de hac quaestione fuse tractatur : La rétribution du visiteur : la procuration (l.c., pp. 231-248). Generatim nulla erat difficultas quamdiu utraque pars — et archidiaconus et monasterium — amicabiliter et vere humano modo procedebant. Scribit Andrieu-Guitrancourt, l.c., p. 240 : « Le sens qu'il faut donner à l'expression *procurati fuimus* reste lui-même difficile à préciser en plusieurs circonstances. On peut imaginer que l'archevêque seul était reçu dans la clôture, avec tout au plus un ou deux clercs, et que le reste de la mesnie logeait en dehors du monastère. Cette procuration en argent ne vaudrait alors que pour ceux qui étaient à l'hostel... ». « Presque toujours, tout se passe sans heurt : chacun y met du sien et avec la bonne grâce possible » (p. 241). « Rigaud n'est pas un intraitable visiteur » (p. 243). « Il lui arrivera parfois de remettre la procuration à un monastère sinistré ou que des travaux d'aménagement reconnus par lui au moins utiles, rendent incapable de remplir actuellement ses obligations. On en a un exemple typique à propos de Belle-Étoile », cfr supra, p. 280) (p. 244).

B-3281, Abdij Averbode (Belg.). J. B. VALVEKENS, O. Praem.

### Une donation de l'abbaye de Saint-Antoine à l'abbaye de Prémontré

L'abbaye de Saint-Antoine des Champs fut fondée en 1198 au faubourg Saint-Antoine, près Paris, pour des religieuses, par Foulques de Neuilly-sur-Marne, celui-là même qui prêcha la quatrième croisade.